Stephanus I
Poloniae Rex.

Laternae Martini: Oratio in exequiis funeris D. Stephani Primi, Poloniarum Regis laudatissimi.

ORATIO
IN EXEQVI-
AS FVNERIS,
DIVI STEPHANI
PRIMI, POLONO-
RVM REGIS LAVDA-
TISSIMI.

Martini Laternæ, Societatis IESV,
S. Theologiæ Doctoris.

Timenti Dominum, ben'

Cracoviae
1588.



IN FVNVS MAGNI STEPHANI PRIMI, REGIS POLONIÆ ORATIO.

LVctuoſiſsima hęc, ſqualoriſq́; pleniſsima, exequiarum funeris STEPHANI Primi, Regis quondam noſtri, pompa, Ornatiſsimi, nobiliſsimiq́; Auditores, quemadmodum rationi conſentanea, & à veterum conſuetudine non aliena; ita maximis eius in Rempub. noſtram promeritis, & virtute ſingulari, digniſsima mihi videtur. Eſt enim hęc non tàm ſcripta, quàm nata in omnium gentium mentibus lex, ad quam magis facti quàm docti, magisq́; imbuti quàm inſtituti ſumus; vt ob principũ in Repub. virorum è vitæ huius ſtatione diſceſſum, in luc[illegible] & ſqualore iaceamus: multò verò etiam am[illegible] ob demigrationem eorum, qui ad omn[illegible] tutem omnibus facem prætulerunt, m[illegible] tabeſcamus. Hanc ante pr[illegible] prudentiſsima in[illegible] vitæ rati[illegible]

interiùs esse afflictatos, diuinorum annalium monumenta testantur. Hanc Moysis tempestate, ex ipsis quoque naturæ visceribus, Iudæi videntur expressisse: dum Aaroni, summo sacerdo-
Nume: 20. Deut: vlt. 2. Reg. 3. ti, & ipsimet Moysi, triginta continuis diebus parentarunt; ad exequias Abneris, saccis induti sunt; & post Iosiæ Regis funeri iusta magnificè
2. Par: 35. persoluta, Threnos & Lamentationes ab Hieremia vate conscriptas, iterum & sæpiùs, longissimo complurium annorum interuallo, innouarũt. Hanc denique, aureo illo, post optatissimum veri Messiæ aduentum, seculo, à ratione magis profectam, quàm aliquibus institutis præscriptam, ii etiam religiosi viri religiosiùs obseruarunt, quos primum illum, & locupletissimum IESV Christi testem sanctũ Stephanum, terrę mandauisse, planctumq; in eius funere magnum fe-
Acto: 8. cisse, D. Lucas publicis sacrarum literarum monimentis consignauit. Tàm iusto igitur, tàm pru-[illegible]nte, tàm forti, tamq; temperato Rege sublato [illegible] cur non mœreat ordo Ecclesiasticus, in [illegible]i, vitę cursum transmittat Senatus, do-[illegible]iæ, squaleant coloniæ, luge-[illegible] ipsi [illegible]ie, tantum [illegible]ac Reipub. [illegible]Non

(hoc est, collectos, cum Apostolicæ sedis Legato, Antistites, comitantem funus Regem, sequentem charissimi coniugis cineres Reginam, aduocatos Regni aliarumq; gentium proceres, missos obuiam adiunctosq; funeri, viros quosque nobilissimos, numerosissimum militem expeditum, congregatas omnes sacrorum Religiosorumque hominum familias, coacta vrbis totius Gymnasia, pullas omnium ordinum vestes, cataphractos, & quasi ad pugnandum egregiè munitos equites, deductos generosissimos funebri cultu equos, prolata militaria Regni totius signa, effusam innumerabilem omnis generis hominum multitudinem, plenissimam gemitu, lachrymisq; CRACOVIAM, squalentia toto triduo, variisq; modis luctũ concitantia templa, habitas funebres diuersis in locis conciones, ornatos epitaphiis, aliisq; eiusmodi, in exequias scriptis carminibus, sacrarũ ędium parietes, accensam ingentem cereorũ vim, plenum cõmiseratione cantum, affixa Regni Regiæq; familię stemmata, gestatam publicè R[illegible] coronam, sceptrũ, & ensem, reliquamq[illegible] Christiani funeris pompam [illegible] multa in Reg[illegible]hoc [illegible] Rege virtus me[illegible] ri fing[illegible]

Pompa funeris Stephani.

recordationem dum venio, Auditores, virum
mente concipio, egregiè ad illam Diui STEPHANI,
tui, Christe Deus, inuictissimi athletæ, perfectionem,
si non accedentem omninò, at certè,
dum in viuis esset, accedere contendentem: vt
Acto: 6. plenus nimirùm esset gratia, & fortitudine, faceretq;
prodigia & signa magna in populo. Quod
quàm verè à me vel cogitetur, vel dicatur; ex
his quæ de admirabilis istius Principis rebus gestis
dicturus sum, facilè cognoscetis. Et licet nec
Apelles sim, qui Alexandrum hunc nostrum, genuinis
coloribus depingere; nec Lysippus, qui
eundem appositè fingere possim; quia tamen apud
eos tanti Regis laudes oratione persecuturus
sum, apud quos tàm peruagata est illius virtus,
vt omnium penè quæ dicturus sum, testes
laudatoresq; possint esse; alacriùs huic negotio,
à multis desiderato, mihi autem ab iis, quorum
nec autoritatem aspernari, nec voluntatem negligere
debui, imposito, manus admouebo. Pri-
[illegible]m autem, quomodo plenus gratia fuerit, pla-
[illegible] faciam: deinde verò fortitudinis eius pauca
argumenta in medium proferam: po-
[illegible] & [illegible]gia, quibus in Christianæ
[illegible]tatus est, enumerando
[illegible]ia & vbertate com-
[illegible]cendi capi-

mi, quo Dei Opt. Maximiq; clemẽtia, hominum
mentes ornatæ, diuinam quandam, naturaq; ipsa
sublimiorem dignitatem consequuntur; atque
idcirco Deo, mirabili quodam modo, redduntur
acceptæ: sed bona illa, sine quibus nullam vitam
beatam esse Philosophi existimarunt. Quorum
tria genera, dum Peripatetici, & veteres Academici
statuerũt, Animi nimirùm, Corporis, & quę
Fortunæ vocant; amplissimum mihi vel hac partitione
de Stephani laudibus campum dicendi
aperuerunt. Primùm autem, si externarum rerum
ornamenta spectemus; Maiorum bonum,
Plutarcho iudice, est nobilitas: & quidem eiusmodi,
Euripide authore, vt si quis à parentibus,
ipso Ioue illustrioribus, ortum ducat, scelere autem
interim, maleficioq; pascatur; in nobilium
verè numerum nequaquam venire possit. Quod
in Stephano felicitatis genus desiderare potest
nemo: quamcunque tandem ex tribus illis, à principe
Philosophorum Aristotele explicatis, nobilitatis
formam quis accipiat: siue gentis nimirùm
illa sit, siue loci & ciuitatis, seu denique familiæ.
Natus est siquidem Somlii in Transylvania
Stephanus Rex, STEPHANO Battoreo patre,
laudatissimo eius Prouinciæ Principe, Catharina
Telegdia matre, Anno à Virginis partu,
Millesimo Quingentesimo Trigesimo Tertio, illo
ipso die, quo de translatis S. Stanislai cineribus
Polonia; de Cosmæ autem & Damiani glorioso
natali, reli-

Tria bonorum genera.

Plutar: lib. contra nobilit.

Eurip. in Dict.

Tres formæ nobilitatis.

Arist. lib. 1. Rhet: cap. 21.

natali,reliquus Christianus orbis, quinto Calend. Octob. gaudio triumphat. TRANSYLVANIAE autem laudibus, quę vnquam par esse potest oratio? cùm, quidquid in Hungaria prædicabile & præclarum est, id citra omnem controuersiam non contemnendæ huic Hungarię parti, suo modo posśit tribui: cui in splendore, & auri, argenti, aliarumq; eiusmodi rerum copia, primas, & Petrus Ranzanus, Pontificis Maximi ad Matthiam Hungarorum Regem Nuncius, & alii cōcesserunt. SOMLIVM verò, natalis Stephani sedes, licet nulla alia ornamenta dignitatis suæ haberet; eo tamen nomine multis mihi ciuitatibus anteferendum videretur, quòd tàm insignia Hungariæ lumina in lucem ediderit; quòd orthodoxa sacra in tot hęresûm colluuionibus inuiolatè conseruauerit; quòd multis amplisśimæ antiquisśimæq; Battoreæ stirpis, rebus præclarè gestis, egregiè sit illustratum. Porrò in tertio nobilitatis genere, abundè mihi illud ad Stephani commendationem sufficere videtur; quòd & patrem Stephanum, & fratrem Christophorum, & Christophori filium Sigismundum, spectatisśimos Transyluanię Principes habuerit: quòd item proaui illius fratrem Stephanum, gloriosè, de plurimis Turcarum millibus, in ea vastitate campi, quam vulgò Chegner vocant, vno die deportato triumpho, præpotens rerum omnium Deus, illustriorem reddiderit: quòd Andream eius germanum,

Ranza: in episto. rerū Hung.

manum, suprema Isabellæ Hungarorum Reginæ palatii præfectura nobilitauerit: quòd denique Battoream domum in augustisśimum purpuratorum Patrum, quos Cardinales vocant, ordinē, maximo iudicio vir Gregorius XIII. Summus Pontifex, referre voluerit. Iam verò famam tanti fecerunt veteres, vt mille thesauris ingentibus & preciosis, Iesus Syrach filius, bonum nomen excellentius duceret; & bonam bonorum famam, verè solam gloriam nominari posse, Latinæ eloquentię parens Cicero iudicaret. quid verò in nominis quoque amplitudine in Stephano potest desiderari? Adolescens in optimarum artium & politioris literaturę studia, domi nauiter incubuit: maturitatem ætatis assequutus, in Ferdinandi Romanorum Hungarorumq; Regis aula versatus est: ibidemq; ob ingenij & morum elegantiam, Carolo quinto, quem in Augustanis comitiis salutârat, & Mantuæ Duci, ad quem, datam illi in matrimonium Catharinam, Ferdinandi filiam, Patris voluntate honorificè deduxerat, alijsq; Illustribus viris, & notus, & charus esse cæpit. Paulatimq; partim in Italia, breuiore temporis spatio; partim in Germania, diuturniore interuallo, rerum maiore vsu acquisito, omnium in se oculos & ora, in funesto illo Ioannis & Ferdinandi simul electorum in Hungaria Regum bello, summi vir consilii, maximiq; animi conuertit.

Fama.

Eccle: 41.

 Nec multò

Nec multò poſt, beneficio Ioannis Tranſyluaniæ Principis, Sigiſmundi Auguſti Polonorum Regis ſororis filii, Varadini procurationem ſuſcepit: militariumq; copiarum Dux factus, tùm ad Hadadum, contra inſtructiſsimas Cæſaris acies, & turmas, tùm alibi, magna ſuæ induſtriæ virtutiſque ſignificatione, pugnauit. Declarata autem in militaribus ſtudiis præclara animi magnitudine, ſolertiq; diligentia, in ampliſsimis quoque ad Ferdinandum, & Maximilianum Imperatores legationibus, prudentiam, fidemq; ſuam, probatam patriæ, orbiq; teſtatam reliquit. tantò in illo ad Maximilianum legati munere excellentior; quantò in cuſtodia, cui illum Cæſar ob turbatas ſe abſente, cuiuſdam æmuli ſui audacia, conditiones pacis, toto biennio tradiderat, ipſius patientia, cum innocentia ſociata, facta eſt illuſtrior. Ex qua, Franciſci maximè Craſsinii, Cracouienſis tempore conſequente Antiſtitis, tunc autem ad Maximilianum Oratoris, opera liberatus; tanquam Ioſeph alter, à carcere, ad Tranſyluanicum Principatum, diuinitùs planè vocatus eſt: cùm nec vnius ex æmulis, ad eum dignitatis gradum aſpirantis, conatus; nec Ioannis Principis pro ipſo calculi, & vota, Stephano ad Tranſyluanicarum rerum adminiſtrationem aditum præcluſiſſent. Quo tempore autem ille, ad profligandas, euertendaſq; in Tranſyluania hæreſes, de aduocandis

Gene: 41.

uocandis in illas oras noſtræ Societatis hominibus cogitabat; eodem, ille Deus, cuius hæc in Diuinis literis vox exſtat; Qui honorificauerit me, glorificabo eum; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles; ad ampliores illi dignitatis gradus viam patefaciebat. Eorum enim, qui ex Senatorio Equeſtrique ordine, ad Polonici Regni adminiſtrationem, maximè idoneum illum ſententiis ſuis iudicauerunt, tam fortunata fuêre conſilia & deſideria; vt licet Auguſto Rege mortuo, Henrico verò ad ſuos reuerſo, Maximilianum Cæſarem Archiepiſcopus Gneſneñ iam Poloniæ Regem renunciaſſet; licet etiam Typhenbachius, Maximiliani Legatus, à regno ſuſcipiendo Stephanum fuiſſet dehortatus; voti nihilominùs compos factus fuerit; ANNAMq; Iageloniam, Regio, aui, patris, fratriſq; ſanguine, & excellenti virtute nobilitatam virginem, vrgente negocium numeroſo Equeſtri ordine, in coniugem acceperit. Felix certè Regno, Regniq; diademate; ſed non infelicior illo Dei Ter Max. beneficio, quòd poſt Maximiliani ex hac vita commigrationem, Rudolpho eius filio, ad gubernacula imperii tractanda, diuinitùs planè vocato, diuturno fœdere ſociatam Germanorum Polonorumq; gentem, ad arma tunc propendentem inclinatione, funeſta inter ſe bella gerere paſſus nõ ſit; & tam inſigne Stephano rebus pręclarè ge-

1. Reg. 2.

clarè geſtis nomen, apud exteros inprimis, breui pepererit, vt illum Gregorius XIII. Pont: Max. miſſo ex vrbe, Vilnam, in ipſis Chriſti Ieſu Nataliciis, pro more, benedicto enſe, tanquam Hieremias vates Iudam Machabæum, ad gerenda ꝓ communi bono prælia exacuerit: totuſq; penitùs Septentrio, ac maxima Orientis, Occidentiſque pars, mirificè illum colere, amare, prædicationibuſq; eximiis efferre cæperit: illudq; inflāmato ſtudio pleriq; in Italia, & alibi, optauerint, vt expediendo aliquādo contra Turcas exercitui præponeretur: tanquam is, in quo nec ſcientia rei militaris, nec virtus, nec authoritas, nec felicitas deſiderari iudicaretur. Atque vtinam tanti illum nonnulli ex ſuis feciſſent, quanti extranei & alienigenæ innumerabiles; nequaquam ille, ipſi quoque Salomoni, principatum hac in re dediſſet: quem ea clementiſsimus Deus felicitate cumulauerat, vt ſuis, externiſq; charus, quotannis ampliſsimis ab eis muneribus ornaretur. Sed voluit in illam quoque promeriti partem Stephanum venire Diuina Maieſtas, vt illas cum Dauide, aut illis ſimiles Nabalis voces audiret: Quis eſt Dauid, & quis eſt filius Iſai? vel cum Saul, illis, aliiſúe eiuſmodi notis compungeretur: Num ſaluare nos poterit iſte? Et certè ſi in felicia illa D. Pauli Barnabæq; tempora Stephanus Rex incidiſſet, non modò illum taurorum cęde, & coronarum præmiis Iconicus ille Iouis ſacerdos, cum effuſa multitudine ornare conſtituiſſet; ſed omnia penitus vndecim honoris genera, quæ anilibus ſuperſtitionibus imbutas gentes, illuſtribus viris olim decernere ſolitas, ex Ariſtotele manifeſtum eſt, eidem exhibere contendiſſet. Non enim donis tantùm Stephanum omnes cumulaſſent; nouis ſtemmatibus ornaſſent; primos vbique conſeſſus conceſsiſſent; publicum & perpetuum victus genus permiſiſſent; genu nixi hominem vbiq; venerati fuiſſent; quocunque venienti aſſurgi præcepiſſent; ludos & ſpectacula in ſempiternam eius memoriam decreuiſſent; ſed ſtatuas etiam excitaſſent, fana exædificaſſent, ſacrificia obtuliſſent; vita verò functum, magnificentiſsimo ſepulchro, ſepulchrorumq; monumentis, elogiis, & inſcriptionibus, quas hodie paſsim Epitaphia vocant, dignati fuiſſent. Neſciebat enim in honorum gradibus modum, barbara ſuperſtitione contaminata veterum religio: quæ tamen nihil eſſe amabilius virtute, omnibus ſeculis rectè iudicauit. *Gratior eſt* autem *claro veniens in ſanguine virtus:* vt *Gratior eſt pulchro veniens in corpore virtus.* Et hæc quidem in externis fortunę ornamentis, nos interim in Stephano admiramur. Quis verò ea, quæ Corporis bona appellantur, oratione depingat? Primas hac in re non immeritò tribuit Ariſtoteles ſanitati, pulchritudini ſecundas,

2. Mach vlt. · *3. Reg: 10* · *1. Reg: 25.* · *1. Reg: 10.* · *Acto: 14.* · *Vndecim modi honoris apud veteres.* · *Ariſt. lib. 1. Rhet. cap. 22.* · *Virg: 5. Aeneid.* · *Ariſt: lib. 1. Rhe: ca. 23.*

Sex bonorū corporis genera. cundas, tertias firmitati, quartas iustæ magnitudini, quintas agnosticæ illi (vt Græci vocant) gymnasticæúe virtuti; quam & magnitudine, & robore, & velocitate, idem definit, vltimas placidæ tardæq; senectuti. Estné verò aliquis vestrûm, Auditores, qui vel vnam horum corporis bonorum absolutionem perfectionemque in Stephano requirat? Confessus vestros, amplissimi Senatores, tribunalia, publicaq; subsellia in mentem quæso reuocate. Quanta ibi, DEus bone, Stephani fuit maiestas? quæ grauitas? quàm excellens oris, totiusque corporis dignitas & venustas? quis Principis illius habitus? quæ externa species? quàm grauis? quàm ad res, & personas apposita? quàm concinna? quàm summo Rege digna? Ad Herodis Agrippæ regia veste induti, pro tribunali sedentis, verbaq; ad populum facientis, nescio quam magnificentiam obstupescens aliquando Hierosolymæ vrbis populus, Dei vocem, & nō hominis, aures suas circumsonare exclamabat. Veriùs mihi de plenissimo submissionis & modestiæ Rege Stephano illud dicturus videor: illum in publicis conuentibus, augustam quandam cœlestis internuncii, & ab omni mortali concretione absoluti spiritus effigiem, cum sancto Stephano præsetulisse; orationemq; eius diuinæ cuiusdam maiestatis plenam, notari in illo, obseruariq; potuisse. ita grandis, copiosa, & expolita verbis, sapiens sententiis, prudens responsis, consiliis, vel decretis, sensu enucleata, genere toto grauis, omnibus denique ornamentis abundans, aureumq; eloquentiæ flumen fundens videbatur. externa verò corporis constitutio, verè augusta, verè Regia, verè omni veneratione dignissima iudicabatur. Artificiosè, affabrèq; pictas Stephani imagines, nonnulli toties magna vestra voluptate vidistis. Cùm autem animū ab ipsa pictura & imaginib⁹, ad rem veritatemq, traduxeritis; quam non lætitiam, & liberalem suauemq; iucunditatis concitationem in animo sentietis? An non itaque vel in ipso interitui & corruptioni obnoxio corpore, gratia plenus vobis videtur, in quo nec firma valetudo, nec venustas, nec dignitas, nec vlla alia corporis ornamenta Rege digna, potuerunt desiderari? Sed minora sunt hæc, si cum animi bonis conferantur. Bona animi. Quantò enim præstantior est animus corpore; tantò bona animi, corporis dotib⁹ antecellunt. Quod autem donorum, virtutumq; genus, in Stephanum munificentissima Dei liberalitas non contulit? Agesilai & Cyri Regum laudes, ita persequutus est oratione Xenophon; vt Iouis (quod Pòëtæ fingunt) filias, eius ore loquutas, vulgus existimauerit. sed quid sunt laudes istæ, cum Stephani comparatæ prædicationibus? Si quæ enim, tùm in his, tùm in aliis, ante admirabilem

Acto: 12. (margin, beside "mo Rege digna")

Acto: 6. (margin, beside "figiem, cum sancto Stephano")

dis, copio- rabilem

rabilem illum Mefsiæ ex Virgine ortum ornamenta virtutum fuerunt; maiora ſcribentium ingeniis, quàm Regũ ſtudiis fuiſſe, à nonnullis ſunt iudicata. Et certè, ſi in D. Auguſtini ſententiam eundum eſt, perfectæ, ſuiſq; finibus & numeris abſolutæ virtutes, in hominibus à veri Dei cognitione alienis, eſſe non potuerunt. quam Auguſtini vocem, de virtutibus Theologorum more conſideratis, quidam non malè ſunt interpretati. Quæ autem virtus obſecro Stephano defuit, quæ in Ducibus, Regibuſq; Poloniæ (placet enim noſtra ſolùm hoc loco attingere) obſeruata, ad immortalem poſteritatis memoriam tranſmiſſa eſt? Laudatur in PIASTO perliberalis quædam hoſpitalitas; ſed, ô te hoſpitaliſsimum Stephane, qui non paucorum annorum interuallo, mulſo, porciúe carne affatim ſuppeditata, famem ſitimq; nonnullorũ hoſpitum depuliſti; ſed ad ipſum extremi iudicii diem, Varſauiæ, ampliſſimam, omniq; egenorum conditioni & generi cõmodiſsimam domũ, liberaliſsimè exædificaſti.

Aug. lib. 5. de ciui. à cap. 14. ad 20.

Principum & Regũ Poloniæ veterũm, cũ Stephano comparatio.

Piaſtus.

De hoc & aliis Chronica Polonorum.

Celebratur in BOLESLAO Pudico, caſtitas in cõiugio integrè inuiolateq́, conſeruata. Et meritò. In medio enim Babilonicæ fornacis, Boleſlaé Pudice, verè pudice, concupiſcentię, voluptatis illecebræ, ardentes flammas euaſiſti: & cùm D. Ambroſius, martyrium quoddam in iuuenibus exiſtimet eſſe caſtitatis obſeruationem; mirabili quadam te, tuamq; integerrimam coniugem Cunegundam, martyrum gloria exornaſti. Habet Stephani quoq; noſtri, in ſtabili, ſancta, perpetuaq; fide ornato matrimonio, laudes ſuas, animi corporiſq;, aliquot iam annis ſeruata caſtimonia: quę tantò reddita eſt ſpectabilior; quantò euidentiùs in tot prolapſionum turpiumq; voluptatũ occaſionibus (quas ille vt piè admodum ita ſolertiſsimè deuitabat) in tam crebris locorum mutationibus, tanta quiduis faciendi libertate, tam firma redundantis ſanguine corporis conſtitutione, tam egregia, conſtantiq; valetudine, illud Sacri ſcriptoris in optimo pudentiſsimoq; Rege locum habuit; Qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus, facere mala, & non fecit.

Boleſlaus Pudicus.

Amb: in ſerm.

Eccli: 31.

Iam verò in Caſimiri à vita ſolitaria & religioſa, ad regni ſtrepitus & tumultus reuocati rebus geſtis, inflammatum & ardens pacis ſtudiũ, in magna quidam laude poſuerunt. Sed quis te, ô Stephane, pacis facilè dari poteſt ſtudioſior? qui vt variis tempeſtatibus iactatam Lithuaniam, crebriſq; trepidationibus perculſam Poloniam, in placido diu expetitæ quietis portu collocares; nec laborem ſubterfugiſti, nec impenſis peperciſti, nec varias temporis procellas, àeriſq; crebrã inclementiam declinaſti, vitam denique tuam, vel in ſola Moſchouia, ter, grauibus diſcriminibus, heroico animo, pro Republica obieciſti.

Caſimirus.

 Boleſlaum

Boleslaus Chabri. Boleslaum quoque CHABRI, vt solertem, sagaciterq; res aggredi & perficere solitum, pleniore (quod aiunt) ore, prædicationibus nonnulli extulerunt. Stephani verò Regis, & bello, & pace declaratam perspicacē prudentiam solertiāq; singularem, quot secula non modò laude ferent & mirabuntur; sed etiā imitatione effingere contendent? Candentes ignitiq; globi, pręsentissimū incendii contra lignea hostiū propugnacula subsidium, primum in re bellica inuentum Stephani esse creduntur. vt alia interim celem taciturnitate, quæ illius solertiam in excogitando, consiliū in prouidendo, industriam in agendo, celeritatē in conficiendo, terra & aquis, suis, exterisq; testatam fecerunt.

Vladislaus. Præclara etiam VLADISLAI Casimiri filii mansuetudo, multos diuturna obstupefactos reddidit admiratione. Sed ô tuam admirabilem, ac nunquam satis laudatam, Stephane, mansuetudinem, qui tot acerbas obtrectationes, tot inuidas, temerariasq;, prudentissimorum cōsiliorum, factorumq; tuorū repræhensiones, tàm diù, tamq; patienter, etiam publicè, ferre potuisti; vt illam etiam, in frequentissimo Procerū consessu, amplissimo cuidam Senatori, tuam miranti defendentiq; modestiam, Dauidis vocem aliquādo extorseris: Memento, Domine, Dauid: & omnis mansuetudinis eius. (Psal: 131.)

Boleslaus Criuoustus. Quid autem de Boleslao, quem vulgus CRIVOVSTVM vocat, dicam? Quàm sæpè, quamq; diu præclaras eius victorias, & bonorū & malorum non immemor posteritas, est admirata? Nequaquam in hac quoque victoriarum gloria, Criuousto palmam, Stephane Rex, concessisti. Quæ enim ora, quę regio, quis terrarum tractus, quæ colonia, quæ ciuitas, quis denique locus, ad insignes, frequentesq; tuos triumphos non obstupescit? Quos non immeritò, partim pictos, partim fictos, nonulli, maturo iudicio prudentiq; cōsilio viri, immortali sempiternęq; totius ꝑpè orbis memorię cōsecrarūt.

Miecislaus. Placuit & in MIECISLAO sene, maturior quędam seueriorq; grauitas nostratibus. At nemo Miecislaum facilè Stephano, licet nondum ad exactam ętatem adducto, vnquam pręferre vllo modo potuit; qui maturitatem Regiam, maiestateq; plenam autoritatem, in illo publicè aliquando, priuatimúe est admiratus.

Casimirus. Porrò CASIMIRI, Miecislai fratris, tenacem iustitiæ animū, quàm insigni laude, veteres nouiq; rerum scriptores, ornarunt? Verùm ad Stephani quoque iustitiā pro dignitate celebrandam, quæ vnquam, grauissima licet ornatissimaq; laudatio sufficeret? Hanc castra, hanc comitia, hanc ciuitates, hanc pagi, hanc agri quoque ipsi, contenta voce testantur & prędicant. Præclarè enim à sapientissimo Salomone dictum est: *Abominabiles Regi, qui agunt impiè: quoniam iustitia firmatur solium.* (Prouer: 16.)

Lesco. Patiamur in LESCONE etiam, qui al-

qui Albus est appellatus, excelsum quendam animum antiquitatem suspicere. At quàm facilè Stephano quoq; nostro in hoc laudis generè Lescus concedet principatum? Hunc enim ad magna natum, magnaq; & Heroibus digna spectantem, suscipientem, & perficientem, omnes planè ætatis suæ partes, euidentissimè testantur. Quàm enim feliciter in Hungaria eius adoleuit pueritia? quã laudabiliter in Germania & Italia, eius se exercuit adolescẽtia? virilis verò ętas quàm gloriosè in Trãsyluania primùm, post verò, vndecim propemodũ annis, in vtraq; Polonia, magnoq; principatu Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masouiæ, Samogitiæ, Podlachiæ, Volhiniæ, & Liuoniæ, insigni eodem Ecclesiæ Dei præsidio, singulari verò Reipublicæ emolumento, ac maxima illustriorum in dies ornamentorum & subsidiorũ spe, incredibili denique varii generis hostiũ terrore, transacta est?

Locticus. Non desunt, quibus in VLADISLAO Loctico, patientia in aduersis, fortitudoq; laudibus digna videatur amplissimis. Vtinam, Stephane Rex, præclara illa tua variorũ incommodorum voluntaria perpessio, & diuturna patientia, non tanta in te fuisset, nec ita ꝑpetuo vsu quodammodo in te obduruisset; nequaquã fortasse nos, in tam acerbo ex tua demigratione luctu reliquisses; nec ad tam luctuosas parentatiões, & vel aspectu solo, mœrorẽ concitãtia epitaphia, regni incolas adduxisses.

De Iagelo-

Iagello. De IAGELLONIS, Sigismundi Primi aui, in amplificando immortalis Dei cultu, pietate, munificentia & labore, per quos Regni Poloniæ tractus non peruasit nunciatio? Te felicem quoque, ô Transyluania, cui auitam Religionem restituere, Episcopatũ instaurare, omneq; pietatis & eruditionis genus in illa innouare, nisi mors inopinata, vitam illi eripuisset, velis (quod aiunt) remisq; Stephanus contendebat. Beatam te etiã, ô Liuonia, quam hæresibus distractam, à Musis auersam, solidæ pietatis expertem, ijs tegere firmareq; præsidiis Stephanus cæperat; quibus opẽ tulit, Constantinus Magnus Orienti & Occidenti; Pipinus Rex, Germaniæ; Ludouicus Primus, Daniæ; Ludouicus eius filius, Bohemiæ; Carolus Magnus, Saxoniæ; Henricus secundus, Hungariæ; Carolus secundus, Galliæ; Carolus Tertius, Normaniæ; Otto primus, Sclauoniæ; Miecislaus denique, Poloniæ atque Masouiæ.

Casimirus Si[gismundi] pater. Manifestum est ex nostræ gentis annalibus & illud; in CASIMIRO, Sigismundi primi patre, facilem offensarum obliuionem, prædicationibus ornatã esse creberrimis. Sed quoties in Stephano Rege etiam, publicas priuatasúe offensiones, grauiorumq; iniuriarũ recordationem, vel solus sempiterni & immortalis Dei amor timorq; obliterauit? quanta in mansuetissimo illo Principe fuit lenitas? quàm mira facilitas? quã cùm in ami-

 cos eti-

cos etiam & beneuolentißimos quosque, nonnulli in multis desiderent; in Stephano, in hostes quoque, sibiq; quondam infestißimos homines, qualis illa fuerit, vel vnus Casparus Bekesſius, magnis à Stephano, crebrisq; cumulatus beneficiis, identidem, dum in viuis esset, testabatur, cæteriq; demirabantur. Laudatur inter alia ab Historicis in SIGISMVNDO Primo, egregius de seipso triumphus. In carnis enim vitia nonnihil natura scribitur fuisse procliuior: qui tamen coércere cupiditates, domitosque habere effrenes motus, pulchrum sibi gloriosumq; iudicabat. Vicisti teipsum in multis, Stephane, vicisti: dum in iram aliquantùm pronior, gloriosißimè frena iracundiæ stimulis iniecisti. Longè hoc nomine felicior, quàm cùm vrbes arcesque hostium, igne, ferro armisque expugnares. Etenim,

Sigismundus. Cromer. in orat. funebr. Sigism.

Fortior est, qui se, quàm qui fortißima vicit
Mœnia: nec virtus altiùs ire potest,

vt diuinarum literarum monumentis cõsentaneè, quidam veterûm cecinit. Et quispiam plenum gratia inficiabitur illum, in quem clementißimus Deus, tot & tam præclara animi, corporis, fortunæq; ornamenta congessit? Quæ Stephani virtus, tantò mihi illustrior videtur; quantò euidétiùs in omni quidem hominum genere; sed inprimis in celsißimo Regiæ dignitatis gradu, illud vetusti Pöétæ locum habet:

Rari quippè boni: numero vix sunt totidem, quot
Thebarum portæ, vel diuitis ostia Nili.

Iuuenal. Saty. 13.

ita vt

ita vt Sacræ quoque literæ, ex numerosa illa Israelis & Iudæ Regũ multitudine, paucißimos enumerando recenseant, qui superstitiosa, & anili, vatum Baalis, Lucorum, aliorumq; eiusmodi, religione, non fuerint conflictati. Satis quidem vel ex his quæ dicta sunt, omni virtutũ laude cumulatum fuisse Stephanum manifestum euadit, Auditores: quia tamen speciatim, Fortitudinem in S. Stephano, egregiè ad Christi certamen instituto iuuene, Diuus Lucas miratur; qua ille instructus, concupiscentiam carnis vicit (neque enim temerè viduarum illi curam commissam interpretes obseruarunt); concupiscentiam oculorum vicit (nam non sine causa, rei familiaris administratio, ab ipsis Apostolis, cum sex aliis, ipsi credita est); superbiam vitæ vicit (nec enim insigne Archidiaconi munus, solita illum submißione animi spoliauit); patiamini, quæso, me tribus verbis, illam, in Stephano quoque Rege, commendare. Variis sanè virtutum præsidiis tectum esse oportet Regem; sed inprimis certè FORTITVDINE munitum. Noli, inquit sacer vates, quære fieri iudex, nisi valeas virtute irrũpere iniquitates. Et cùm fortitudo, multa ferre, plurima etiam aggredi, & efficere debeat; (est enim, Philosophis autoribus, animi affectio, in adeundo periculo, & in labore ac dolore patiens); quis pro dignitate explicet, quàm multa tulerit fecerit q;

Eccli: 49. Acto: 6. Fortitudo Regis Stephani. Eccli: 7.

Stephanus à

Stephanus? Inuictum eius animum, dum mente contemplor; in illius domus super petram exædificatæ recordationem venio, quam Christus
Matth: 7. Dominus, nec ventorum vi, nec pluuiarum imbriumúe copia, nec fluminum impetu, suis sedibus emoueri posse testatus est. Excitati sunt in Stephanum venti domesticorum aduersariorum: perpessus est imbres exterorum hostium: expertus flumina, omnibus mortalibus communium inimicorum: omnibus ille, Christo duce, factus est superior. Exercuit, inter domesticos, patientiam Stephani, tùm ante initum Transyluaniæ Principatum; tùm in ipsa eius muneris administratione Bekesius: exercuit, collocatum ad regni clauum, opulentissimum Emporium Dantiscanum: exercuêre, non multò pòst, Rigenses turbæ: exercuêre postremò, vt lippis (quod aiũt) tonsoribusq; notum est, quidam alii. Sed enim omnes illum, & virum excelsi animi, & Regem inuictæ fortitudinis, experti sunt; manusq; vel sponte dare, vel inuiti, victoris frena victi subire coacti sunt. Inter exteros autem, quàm fatalis Stephano videbatur, initio suæ inaugurationis, cum maxima Germaniæ parte dimicatio? nemo tamen, in illis quoque discriminibus, timidum, fractumq; Stephani animum obseruauit. Quid verò magnus Moschorum Dux, Ioannes Basilij? quàm acerbo, quàmq; diuturno seruitutis iugo pressit

pressit Liuoniam? quot ille hominum millia, eorum maximè (ô tua, Christe Deus, arcana iudicia) qui Religioni orthodoxæ bellum indixerant, trucidauit? quãto temporis interuallo, magno Russię dolore, maxima Lithuanię trepidatione, Polociam, aliasq; arces regno ereptas possedit? quẽ non metum, efferi illius Principis potentia, & audacia, finitimę Russiæ, Lithuanięq; iniecit? Venit sub ipsam Polociã Stephanus, & non longo temporis interuallo, Deo fretus, duas ciuitatis illius arces, vallo, vineis, præaltis crebrisq; turribus, magna bellicorum tormentorum vi munitam, lectiq; militis non mediocribus pręsidijs firmatam, in summa licet àëris inclementia, in tempestuosa admodum æstate, igne, ferro, vi, ex hostium manibus, anno Christi millesimo quingentesimo septuagesimo nono, eripuit. Notæ sunt reliquæ, hanc secutæ, fortissimi istius Principis, de Moscho victoriæ, quas vel eadem, vel secunda, vel tertia cõtra illum expeditione deportauit. Alias enim arces bello captas esse memoria tenetis; alias penitùs deletas, alias deditione occupatas, pleriq; vel vidistis, vel fama accepistis. Venit in hũc numerũ Socolia, venit Turoulia, Sitnũ, Sussa, Cosiana, Vsviatũ, Neuelia, Crasnũ, Velisia, Turobecia, Ieseriscũ, Zauolocia, Velicoluci, Ostrouia, aliæq; eiusmodi tùm arces tùm ciuitates. Facileq; vastissimã mole Plescouiã, magnã illam Nouogardiã, &

diã, &

Ezec 18.

diã, & ſimiles vrbes hoſti ereptas, Regno vel reſtituiſſet, vel adiunxiſſet; niſi vigilantiſsimus Chriſtianorũ omnium paſtor & parens, Gregorius XIII. tantæ ſtragis, cædisq; hominum pertæſus, illiusq; Dei, cuius in terris feliciſsimè vices obiuit, clementiam imitatus, qua facinoriſsimos etiã quoſque homines conuerti cupit atq; ita viuere, miſſo internuncio, & pacem, Liuonia Regno reſtituta, procuraſſet; & Catholicæ religionis lumen, in oras illas, Græco ſchiſmate diſtractas, variisq; erroribus deformatas, qua potuit ratione, inferre tentaſſet. Iam de Amurate Turcarum Imperatore quid dicam? Qui cum Chriſtophoro, Tranſyluaniæ Principe, Stephani Regis fratre, è viuis ſublato, impuberi eius filio Sigiſmundo, dimidio maius tributum, contra ſuperiorum annorũ conſuetudinem, imponere conaretur; effecit admirabilis illa Stephani autoritas, & virtus, vt prima duntaxat penſione contentus, nihil noui in Tranſyluania moliretur. Qua virtute illud quoque apud eundem perfectum eſt; vt in Stephani gratiam, Ianiculam Valachiæ Principem, confini nobilitati noſtræ iniurioſum, principatu ſpoliaret: cui cùm facultates & vitam poſtea Leopoli, tanquam perduellionis reo, Stephanus eripi iuſsiſſet; atq; idcirco minaciter quædam, Turca Regi ſcripſiſſet; tantũ abeſt, vt ob expoſtulationes illas cõminationesq; Stephanus metu exhorruerit; vt etiam munitas arces aliquot, in cõfinijs contra Tartaros, magno Turcæ mœrore, maxima Tartarorum trepidatione, excitauerit. Notum eſt etiam pleriſque, quid à Mehmete, & Aſchlan, Tartarorum, vt illi vocant, Chanis, ſeu Principibus tentatum ſit. iuit obuiam nefarijs eorum conatibus Stephanus. Ille enim Deus, qui aduerſus quinq; ſectas, vt apud S. Lucam licet obſeruare, decertanti Stephano Protomartyri, opem tulit; publica emolumenta procuranti Regi Stephano, varia contra hoſtes præſidia, non ſine prodigijs fermè quibuſdam, crebrò ſuppeditauit. Parùm autẽ eſt ſuperiorem euaſiſſe extraneis domeſticiſúe aduerſarijs Stephanum: communis illa mortalibus omnibus tertia dimicatio, quàm inſignis in Stephano fuerit; honeſtiſsimè laudatiſsimèq; acta vita, qua ad omnem virtutem, omni hominum conditioni, ignes admouit, maximo certiſsimoq; eſt argumento. Tantùmne verò fortem illius animũ, tuliſſe multa commemorabimus; non autẽ multa etiam Stephanum feciſſe, ſempiternæ poſteritatis memoriæ cõmendabimus? Fatalibus & funeſtis Tartarorum excurſionibus vexatam, direptam, & tantùm non oppreſſam Podoliam; multis crebrisq; liberatam periculis, lætamini? Liberauit, Deo duce, Stephanus. Ereptam Moſcho, Regniq; prouincijs denuò adiunctam Liuoniam gratulamini? Eripuit adiunxitq;, Chriſto adiutore, Stephanus.

Acto: 6.

phanus. Ex aucta compluribus arcibus Lithuania & Russia, suauem iucunditatis concitationē percipitis? Auxit, diuina ope, Stephanus. Pacificationem, ab armisq; discessionem vobis conciliatā, obuijs vlnis complectimini? Conciliauit, Christo autore, & Christi Domini in terris Vicario adiutore, Stephanus. Firmata esse cum exteris fœdera, gaudio triumphatis? Firmauit, Dei præsidio, Stephanus. Suppeditata domi salutaria consilia gaudetis? Suppeditauit, Spiritus Diuini auxilio, Stephanus. Plerasque leges, ad iubendum honesta, vetandumq; contraria latas, promulgatasúe libenter admittitis? Tulit, promulgauitq; Stephanus. Tribunalium ad dirimendas citò controuersias & lites, alioqui interminatas, institutorum, immortale, fructuosissimumq; beneficiū sentitis? Instituit Stephanus. Noua præmia virtutibus, nouaq; vitijs supplicia proposita, non improbatis? Proposuit Stephanus. Et quid ego minutim hæc percenseo? Portentis similia sunt, quę præclarè aliquando, Regni habenis in manus acceptis, gessit Stephanus. Qui diligentiùs veterûm, totius propè orbis, rerum monumenta scrutati sunt; septem, vt illi vocant, Mirabilia Mundi, in vetustis annalibus obseruârunt: Ægyptiorum scilicet Regum pyramides: quarum vnam à sexcentis hominū millibus, viginti tribus annis ædificatam scribit Plinius: Phaream Ptolomęi turrim,

Politi. in Man.
Septem miracula mundi.

rim, octingentorum talentorum impensis excitatam: Babylonicos Semiramidis muros, in quibus exstruendis, trecenta hominum millia, constat solita fuisse occupari: Ephesinæ Dianæ fanum, à tota Asia ducentis viginti annis fabricatum: ab Artemisia Regina exstructum coniugi sepulchrū, triginta sex columnis artificiosissimè exornatum: Solis Colossum apud Rhodios, altum cubitis septuaginta: Iouis denique Olympii, eburneum, affabrèq; à Fidio factum simulachrum. Ecce verò vobis hodie virum, in quo vno, ille Deus, qui etiam post demigrationem, septuaginta & ampliùs portentis, ab Augustino alijsq; conscriptis, Stephanum Martyrem nobilitauit, SEPTEM quędam PRODIGIA, vi sua Diuina effecit. Principem in his mihi locum habere videtur, tàm felix & tàm pacata Regni Poloniæ, annis propè vndecim, administratio. Quam enim Regni nostri faciem, Auditores, Stephanus, ad procurationem eius diuinitùs vocatus, inuenit? vix certè ab illa diuersam, quam Latinorum Pöetarum princeps, in alio materiæ genere, genuinis depinxit coloribus.

August. 22. de Ci. Dei. cap. 8. & Serm. 7. de S. Steph.
Septem mystica Stephani Regis miracula.
I.

Centauri in foribus stabulant, Scyllæq; biformes,
Et centumgeminus Briareus, ac bellua Lernæ,
Horrendum stridens, flammisq; armata Chimæra,
Gorgones, Harpyiæq;, & forma tricorporis vmbræ.

Virg: 6. Æne.

Duplex siquidem, breuissimo temporis interuallo, Interregnum Polonia habuit: duos, tresúe, vno & eodem tempore, grandi suo periculo, Reges

elegit; vixq; vllus erat, qui non in effreni libertate, in laxata domestica disciplina, in odiis & disſidiis inteſtinis, in auulſis omnibus propè externis propugnaculis, in ereptis quibuſdam in locis vectigalibus, in occupatis à barbaris hominibus, multis Regni domiciliis, in ſeditioſis frequenter de Repub. conſiliis, in tot diuerſiſsimis peſtilētiſsimisq; hęreſibus, tot prophanatis templis, tot aris dirutis, tanta impunitate ſcelerum, tanta legum indulgentia, tanta ſubditorum ſeruitute, tanta gentis æmulatione & inuidia, tantoq; & profligatiſsima quaque hæreſi imbutorum hominum, & Iudæorum, dominatu, tàm reſtincta in omni penè hominum genere, amoris Diuini flā̃ma, non extrema quæque formidaret. Prodigium itaque quoddam, clemētiſsime Deus, per Stephanum effeciſti; dum nobis ſarta tectaq; omnia, totis vndecim ferè annis, conſeruauiſti. Feliciùs enim ille regnauit, quàm ſperare; plura pro communi emolumento Reipub. tentauit, quàm optare potuimus. Portenti loco illud quoque D.

11. Bernardus habet, ſi quis in rebus præclarè geſtis mirabilis appareat; & tamen de ſe abiectè ſummiſsèq; ſentiat. En vobis tale, Auditores, in noſtro Stephano portentum. Inſtructū̃ egregiè variis animi, corporis, & fortunæ dotibus virum fuiſſe, auditione accepiſtis: plenum fortitudine Regem mirati eſtis; quę tamen in illo animi ſubmiſſio eluxit? Veritas, dixit ille, odium parit. ſed tantùm abeſt, vt veritatis culturę aſſertioniq; inimicum ſe Stephanus præbuerit; vt ſemel ac iterū̃ ab eo monitum me recorder, vt ſi quid Dei honeſtiúe offenſionem in aula concitaret; liberiùs, verbo, ſcriptoúe, iis de offenſis, eundem commonefacerem. Excellens quidam, in arcanis Dei noſtri literis, obſeruant Theologi, dum Naaman Syrum, Patris nomine, à ſeruis familiaribusq; ſuis appellatum accipiunt. maius quid habet Stephanus Rex: cui ad veterûm Regum conſuetudinem, Sacerdotes Patrum nomine dignari, & aliis honoratis ornare titulis, frequens fuit & familiare. Et cùm apud elatiores delicatioreſúe nonnullorum Principum animos, multis & introitus, & aditus obſtructus ſit; ſoliſq; illuſtrioribus viris patere aliquando ſoleat; ea Stephani noſtri hac quoque in re facilitas & modeſtia fuit; vt nulli ad ſe præcluſo aditu, ipſemet ſupplices, abiectiſſimorum etiam homulorum, libellos acciperet; & tanquam eximia quædam Chriſtianæ ſubmiſſionis argumenta, capitis in tegumento adiuncta, publicè priuatimúe frequentiſsimè geſtaret. vt omittam modeſtiæ indicem, virtutiſq; cuſtodem verecundiam: quæ tanta in Stephano fuit; vt eam valetudini non mediocriter, quibuſdam de cauſis incommodaſſe, lapilloſq; duos, in certa corporis parte, procreaſſe, medici anatomiciq́ue, illo mortuo, obſer-

Bern. ſup. cant. ſerm. 37. & Alibi.

Terenti. in Adria.

4. Reg: 5.

III. tuo, obſeruârint. Quòd ſi contemptum obtre-
ctationum, tertio inter prodigia loco ponere vo-
luerimus; quis in hoc miraculi genere, noſtro
Stephano inueniri facilè poterit glorioſior? Te-
meraria nonnullorum libertas, nunc generi, nunc
religioni, nunc vitæ communis moribus, nunc
virtuti, nunc conſuetudinibus, nunc ſtudiis, nunc
rebus geſtis, nunc conſiliis, nunc decretis eius
detrahere, caſtigationeſq; & notationes cenſori-
as comminiſci ſolebat audaciùs. Vidiſſes Stepha-
num, eiuſmodi hominum inſolentiam, obtrecta-
torumq; maledicentiam, generoſo animo con-
temnentem: ſæpiùs autem hanc, mediocribus eti-
am viris peracerbam obtrectationem, non ſto-
machum illi, ſed liberalem riſum placidè mouen-
tem. Et cùm Hungarorum annales prodiderint, *Runzánus in epit. rer. Hungar.*
eam vnius ex gentis Regibus, fuiſſe aliquando ira-
cundiæ vindictæq; vim; vt Ladiſlao, Ioannis Cor-
uini Principis, octo & ampliùs annis apud Hun-
garos ſupremum obtinentis magiſtratum, filio, ab
obiecto forſitan crimine immuni, quater à cerui-
cibus caput, crudelem in modum, prǽcidi iuſſerit:
in Stephano omnia plena manſuetudinis, plena
clementiæ, plena humanitatis, in eos etiam fue-
runt, qui conſiliis, ſtudiiſúe ſuis, quocunque tan-
dem modo, euidentiùs ſunt peruicaciùsúe aduer-
ſati. Voluit enim Chriſtus Dominus, in illius
gloriæ ſocietatem Stephanum Regem noſtrũ ve-
nire,

nire, qua ob tolleratum quadruplex Iudæorum
calumniæ ſcuriliſq; dicacitatis genus, à S. Luca *Acto: 6.*
deſcriptum, primum ſuum martyrem Stephanũ,
reddi voluit in cœlis in terriſq; illuſtriorem. Iam IIII.
illud quoque, magnam, apud Sanctos orthodoxæ
Eccleſiæ Patres, facit mirabilitatem, ſi integritas
corporis, in rerum affluentia, inuiolatè incorru-
ptèq; ſeruetur. Periclitatur enim, Diuo Bernardo *Bern. in Serm.*
iudice, caſtitas in deliciis: &, vt à magno illo
Moyſe explicatum eſt, incraſſatus dilectus, im- *Deut. 32.*
pinguatus, & dilatatus; ſolet, ſpreta etiã auguſtiſ-
ſima illa numinis Diuini maieſtate, calcitrare.
Obſtupeſcite, obſecro, ad hæc etiam in Stepha-
no Rege, mirabilia, ſempiterna commemora-
tione digniſsima. Vixit pro Regia magnificentia
Stephanus ſplendidè; vixit tamen & caſtè. Quòd-
ſi Salomonem, Baltaſarem, Ninum, Sardanapalũ,
alioſq; eiuſmodi, rerum affluentia & copia non vi-
cit; certè, quod glorioſius eſt, caſtimonia vicit: re-
uera acerrimus libidinũ hoſtis, capitaliſq; omnis
intemperantiæ & turpitudinis inimicus. Quod
enim nonnulli, neſcio quas, in hoc genere, ſuſpici-
ones ſparſerunt in vulgus, & in dubium Stepha-
ni noſtri, inuiolatam omninò in coniugio fidem,
vocare non ſunt veriti; Deum millies teſtari poſ-
ſem, qui aliquot annis, conſcientiæ illius late-
bras receſſuſq;, ipſo ſic volente, ſcrutatus ſum;
totum hoc, nihil niſi nænias, & conficta fuiſſe
E mẽdacia

mēdacia. Sed quid vulgo incertius? inquo ſępenumerò, nec ratio, nec conſiliū, nec honeſtas, nec æquitas, nec cōſtātia locū habet. pręterquàm quòd ſuſpicioſè quędā vel cogitare facilè, vel dicere, omni penè hominū conditioni, frequēs eſt & familiare. Beatus interim ſanè diues, qui inuētus eſt ſi-
Eccleſ: 31. v. ne macula. quis eſt hic, ait Sapiens, & laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita ſua. Nemini quoque dubium eſt, inflammatum illum ardentemq; Dei Opt: Max: cultum & amorem, negotiis diſtrahi ſæpè ſolere, ac interdum etiam diſſi-
Bern. in Serm. pari. Periclitatur enim, ait D. Bernardus, pietas in negotiis: nec ſine cauſa lippis oculis Lia, in qua diſcerptam curis vitam, vetuſti Patres adum-
Gen: 29. bratam obſeruant, à Moyſe introducitur. nec abs
Luc: 10. re, etiam Martha ſolicita vocatur à Domino: vt quæ erga plurima non modò verſetur; ſed etiam aliquando turbetur. At Diuina illa vis, quæ ignitas amoris Diuini flammas, in Sancto Stephano, rei familiaris, & viduarum curam habente, reſtingui non paſſa eſt; eadem in Stephano Rege, integram incenſamq; pietatem conſeruauit. Teſtis eſt pietatis illius, ſanctè incorruptèq; in tot Hungariæ ſectis, inter ſe diſſectis, orthodoxa religio, in patrio ſolo, perpetuò conſeruata. Qua in re,
Mat: 25. Luc: 17. illud obſeruare licet, à ſacroſancti Euangelij ſcriptoribus, non ſine inſigni myſterio literis conſignatum, vt duobus in vno agro, mola, lectoúe relictis,

lictis, vnus aſſumeretur, alter relinqueretur. Tres enim germanæ Stephani ſorores, hæreſi contaminatæ, è vita exceſſerunt: tres contrà fratres, in Catholicæ fidei ardenti conſtantiq; ſtudio, vitam cum morte commutauerunt. Cuius ardoris, illa quoque ſunt non vulgaria indicia, quòd ab ipſis Poloniæ noſtræ finibus, ad vlteriores Daciæ, Tranſyluaniæq; terminos, vix aliquem reperire liceat angulum, in quo integrè, veteris & ſanctæ maiorum noſtrorum religionis conſuetudines & inſtituta ſint cōſeruata: pręter illa, verè fortunata loca, in quibus tres iſti fratres, vel eius fundamenta iecerunt; vel ſingulari ſua vigilantia illam conſeruauerunt, iuuerunt, auxerunt. Teſtis eiuſdem pietatis, eſt vox quoque illa, Eccleſiæ Dei hoſtium, qui in bellicis aliquando Hungariæ tumultibus, Stephanum fratresq; eius, Marianos, hoc eſt, Mariæ Virgini & matri addictos milites, per ludibrium appellabant. Raram fidem pietatemq; ineſſe viris, qui caſtra ſequuntur, communis vulgi fert opinio: in Stephano autem nihilominùs, etiam caſtra, vel olim ſequente, vel poſtea ponente & metante, fidei pietatiſq; ſuum relictū eſt domicilium. Dixiſſes caſtra Stephani, caſtra fuiſſe vel Moyſis, vel Dauidis, vel Iudæ Machabæi: aulas verò eius & triclinia, facilè religioſā quandam Chriſtianæ militię ſcholam appellaſſes. Luxus in illis nullus, commeſſatio nulla, faſtus

nullus;

nullus: procul ab illa aleatores, procul illi, quorũ ignauia, etiam inertiam secum afferret: sed vel sacrę in illis, horis statis, fuerũt preces, & sacrificia, quæ nullo die intermittebantur; vel salutaria de Ecclesiæ Dei & Reipub. commodis collata consilia, quæ diuinitùs planè, noua, & euidenter fructuosa, Stephano suppeditabãtur; vel iudicia, causarumq; cognitiones, quibus ad grauiorem etiam valetudinis offensionem non rarò incumbebatur; vel negociorum variorum expeditiones, Regiaq; manu factæ tàm crebræ subscriptiones, vt aliquãdo ducentas ante meridiem, trecentas & ampliùs post meridiem, vno eodemq; die à Stephano recognitas & subscriptas varij generis epistolas, senatorij vir ordinis, Stephani laborum testis locupletissimus, apertè declararit. Testis denique religionis eiusdem est, illa complurium Societatis nostræ Collegiorum perliberalis erectio atque fundatio: Polocensis in Russia: Rigensis, in Liuonia: in Estonia, Derpatensis: in Transyluania, Claudiopolitani & Albaiuliani: in Hungaria, Varadinensis. vt interim duo Cracouiensia nostra domicilia omittam, eius maximè studio & opera, beneuolentia verò singulari & Antistitis, & Ciuitatis Cracouiensis nobis concessa. Neque his finibus, Stephani pietas, & verè paternus in nos amor, solicitaq; de Ecclesiæ præsidiis ac ornamentis cogitatio, circũscribebatur. Multò enim

tò enim plura eiusmodi, in dies ferè, animo voluebat: quæ re ipsa aliquando perfecisset; nisi, ô inexorabilis mors, improuisò illum vitæ istius lucisq; vsura priuauisses. Quid enim non, Romæ, tùm per literas, tùm opera amplissimi illius S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, Apostoliciq; Legati Bologneti, tentauit; vt Brestæ, in Lithuania, nouum Societatis nostræ Collegium excitaret? Et ne solis Brestensibus, in Prouincia illa, benè benignèq; faceret; Grodnæ quoq; templum egregium, maxima ex parte, exædificauit, prædiumq; insigne, priùs etiam quàm rem de Collegio in Vrbe transegisset, solo religionis Orthodoxæ inflãmato studio permotus, ære suo comparauit. Quòd si quis, tùm in bellicis tumultibus, tùm pacis tempore, tùm in grauioribus quibusdam ęgrotationibus, attentissimè ab illo auditas, ac postea crebrò repetitas sacras conciones, audita sacrosancta Altaris mysteria cogitet; ornata etiam & locupletata, octoginta & ampliùs sacris preciosisq; vestibus, in Liuonia, & alibi, templa, ac, quod excellentiùs est, restitutam Esthonibus, Liuonibusq; Episcopi dignitatem, recuperatas ædes sacras, aduocatos sacerdotes, fundata Gymnasia, erectas parœcias, aliaq; eiusmodi consideret; si quis itẽ, honesta, matura, & pia Stephani priuata colloquia in mentem reuocet; ad tua, clementissime Deus, beneficia, cum prodigiis quibusdam sociata obstu-

ata, obſtupeſcet: qui cùm grandiori corpore conſtantibus brutis animantibus, pauciores paſsim rarioreſq; fœtus, minoribus verò, plures & crebriores gignere, in lucemq; edere conceſſeris; hominem tamen in ſummũ dignitatis Regiæ gradum euectum, mira virtutum vbertate, tanquam fœtu quodam, raraq; perfectionis Chriſtianę copia florentem effeceris. Et cum conſetudo, altera, vel (vt D. Auguſtinus loquitur) affabricata ſit natura; in grauiſsima etiã illa fataliq; ægrotatiõe, hæc ipſa, & iucundum diuinarum rerum in Stephano ſenſum exacuit; & ardentes ad Deum preces fundendi celeritatem incitauit. His enim tunc, aliiſq; ſæpiùs repetitis vocibus, non vulgaria ſanctimoniæ ſuæ, integritatiſq; argumẽta, Rex dedit religioſiſsimus: Miſerere mei Deus: Ne derelinquas me Domine Deus meus: ô Deus æterne, quales fuimus antea, & quales modò ſumus? Quales præteriti anni fuerint, ſcimus; quales ſequentes futuri ſint, neſcimus: Benedictus Deus, qui nos in graui illa noſtra, poſt capitis vertiginem, prolapſione, animam ſtatim efflare paſſus non eſt. vt interim ſancta illius deſideria, conſiliaque prætercam, quæ in vltima voluntatis ſuæ ſententia, & imperfecto, ob morbi vim, teſtamento, Grodnæ, ſexto ante obitum die, facto, maxima orthodoxæ fidei, excellentiſque pietatis, ad vitæ finem conſeruatæ, ſignificatione, declarauit.

Auguſt: lib. 6. de Muſica.

clarauit. Inuenieturné verò iam quiſpiam, qui Stephano, (anno ætatis quinquageſimo quarto, ab optatiſsimo autem Meſsiæ ortu, Milleſimo quingenteſimo octogeſimo ſexto, pridie Idus Decembris, periculoſum, omnibuſq; mortalibus commune iter ingreſſo) ſanctiſsimè olim viuenti, grauiores conſcientiæ labes ſolicitè declinanti, pia propoſita in extremo vitæ mortiſq; conflictu, animo incluſa gerenti, magna ſolidæ pietatis argumenta, in maximis etiam doloribus, præbenti; ne latum quidem vnguem vnquã, à ſanctæ Matris Eccleſiæ placitis & decretis diſcedenti, diuiniſq; illis Chriſtianorũ myſteriis & Sacramentis, magna ſemper religione, inſigniq; & diuturna animi & corporis præparatione vtẽti, bonorum denique operum maximarumq; virtutum pleniſsimo, ſpem immortalis ac ſempiternæ gloriæ, ob inopinatum ac celerem, ex illo infauſtiſsimo nobis ſymptomate, obitum, audeat eripere? Non poteſt certè (Auguſtini ſententia) malè mori, qui benè vixerit. Nec memini, (inquit Hieronymus) me legiſſe mala morte mortuum; qui libenter opera charitatis exercuit. Denique iuſtus, vt Diuina docet ſcriptura, ſi morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit.

Auguſt: lib. 2. de doc: Chriſti.

Hier. ad Nepo.

Sap: 4.

VI. Porrò pręclaros de vitioſa natura triũphos, nõné voſipſi, Auditores, in oſtẽtorum numero reponitis? *Naturam*, ait quidam, *expelles furca, tamen vſque recurret.*

Horat: lib. 2. Ser. Sat. 2.

Non deeſt

Non deest hoc sextum quoque ostenti genus Stephano, Principi maximis laudum insignibus exornato. Diffiteri non possumus, iracundiorem natura aliquantùm fuisse: (& corporis enim constitutio, & negotiorum moles, magnas ad iracunditam faces solent admouere:) Seipsum tamen Stephanus ita vicit; vt audiente me, illud sæpiùs ingenuè fateretur, se nec in eos, quos capiti famæq; suæ insidiari nouerat, vindictæ priuatæ impelli studio; nec odisse animo, quos Christiana lex, etiam nobis aduersos, præcipit diligere. Ad summam, stipulæ instar accensæ, Stephani iracundia fuit; exardescens subitò, statimq; restingui solita. Neque enim, etiam apud perfectissimos quosque viros nouum est, antè animum ab iracundia præripi; quàm præuidere ratio potuit, ne præriperetur. Quamuis, velim vosipsi iudicetis, sitné tanti in Stephano id faciendum; cùm Peripatetici, iracundiam, Fortitudinis quasi cotem appellauerint; & nec fortem Imperatorem, nec præclarum oratorem, nec publici, priuatiq; muneris idoneum administrum censendum putauerint, qui iracundiæ aculeis destitueretur.

VII. Solent denique, rerum liberi explicatores, historici inquam, contemptum mortis in rebus mirandis ponere (omnibus enim horribilibus, terribilior, Aristotelis sententia, mors est) atque ideò maximè tùm Machabæos, in antiquo Dei clementissimi populo, tùm infinitã Martyrum vim, post Euangeliũ Christi Domini promulgatum, admirari & prædicare iidem consueuerunt. Quod in Stephano prodigiũ, Hungaria vidit, Germania mirata est, Prussia ad illum exhorruit, Russia toties est contemplata; Moschouia verò inprimis, ob inuictam eius animi magnitudinem, ita suspicere, & cum formidine demirari cœpit; vt de dandis eidem Moschouitici Principatus gubernaculis, aliquando cogitauerit. Qui si fatalia illa, & funesta mortis tela timuisset; nunquam tàm paruo septus comitatu, pacis, belliq; tempore, non rarò, periculoso etiam itineri, se dare consueuisset. Atq; vtinã, Stephane Rex (iterum enim idem querelæ genus, me dolor compellit innouare) maiorem tuæ valetudinis, in qua tantùm situm erat, curam habuisses. Sed heu clarissima Regni nostri lux, STEPHANE, iaces! nostrum singulare, post Deum, ornamẽtum & præsidium, Stephane, iaces. O luctuosum nobis, duodecimum Decembris diem, quo Grodnæ inter viuos numerari desiisti. ô mœstissimum tunc, omni hominum conditioni spectaculum. ô acerbas modò exequias tuas: ô tristem istam funeris pompam: ô infaustam nobis supremi diei tui celebritatem: ô inopinatam parentationem. ô iterum mœsta, mœsti funeris spectacula, decimo Idus Iunij, in hac vrbe, ipso sepulturæ tuæ die, nobis exhibita. Rex noster, Stephane, iaces! parens patriæ,

Ari: lib 3. Eth.

2. Machab: 7.

Mors Stephani.

F

patriæ, Stephane, iaces! Magna, Auditores, iactura est hominum, ex hac vita decedentium; Regum maior; bonorum verò Regũ maxima. Quis ergo prohibeat, vel potiùs quis non probet squalorem vestrum, lachrymas vestras, planctum velorem vestrum, mœstissimarum exequiarũ, mœstissimi spectatores? Tibi igitur inprimis, ANNA Iagelonia, lectissima Stephani coniunx, & diuturna vita dignissima, Poloniæ Regina, qui, ad illachrymationem, & luctum, stimuli essent adhibendi? Sed parco sexui, parco imbecillæ tuæ valetudini, parco denique eximiæ patientiæ ac motempori, parco denique eximiæ patientiæ ac moderationi tuæ. Comple interim plangore & gemitu, sacram istam ædem, afflicta omnium nostrûm parens, ECCLESIA. Qui enim, longè excellentiùs quàm Saul, vestiebat filias tuas coccino in deliciis, qui aurea prolis tuæ cultui ornamenta præbebat, Stephanus Rex, charissima illa tua soboles, excessit è vita. Ede ploratus infortunata Polona RESPVBLICA, & in illas cum Iudæis voces prorumpe: Quomodo cecidit potens, qui saluum faciebat populum Israel? Stephanus Rex & moderator tuus, de vitæ huius præsidio discessit. Squale, SENATVS amplissime. Cecidit Stephanus corona capitis tui. Luge ornatissime EQVESTRIS ordo: lectissimus flos dignitatis tuæ, ex quo gratissimæ odorum suauitates afflabantur, decidit & elanguit. Afflictamini

Luctus omnium statuum.

2. Reg: 1.

1. Mac: 9.

Thren: 5.

ctamini omnis generis MILITES fortissimi: castrensis vestra, militarisque, tùm exercitatio, tùm gloria, penè cum Stephano concidit. Mœrete florentes ACADEMIAE atque Gymnasia: Musæ vestræ, præclarum ornamentum dignitatis, & præsidium stabilitatis Stephanum amiserunt. Tu verò nostra minima SOCIETAS IESV, quibus te trades lamentis? quas fundes lachrymas? quo in dolore versaberis? propagatorem tuum, adiutorem tuum, firmamentum tuum, parentem denique optimum amisisti. Illachrymate omnes RELIGIOSORVM hominum familiæ: Stephanus Rex, religione plenissimus, Religionũq; omnium firmissimum propugnaculum, ad extremum vitæ mortalis diem adductus est. In acerbo mœrore vitam age, nobilis & laudatissima Stephani AVLA: erepta immaturè vita Stephano; tibi quoque multorum subsidiorum, firmissimorum præsidiorum, perliberalium iucunditatum, & maximorum ornamentorum spes est erepta. Intabescite luctu CIVITATES, pagi, agri denique ipsi: Stephanus Rex, in cuius manibus, splendor, gloria, defensioq; vestra fuit collocata, in aliam vitæ melioris ciuitatem est translatus. Nulla denique ætas, nullus sexus, nulla conditio sit, quæ non graui mœrore conflictetur. Stephanus enim Rex, plenus gratia & fortitudine, faciensq; prodigia & signa magna in populo, extinctus en iacet. Sed

 hem,

hem, contineo me, dolorisq; ista incitamenta cohibeo. Circumsonare enim videtur aures meas, *Ennius.* vox illa, olim quidem ab vno veterûm Poëtarum literis mandata; sed nunc à Stephano, rursum *Stephani Regis oratio, & peroratio.* non incommodè vsurpata. *Nemo me lachrymis decoret, neque funera fletu Faxit.* Ad augustiora regna, & quidem illa, in quæ Reges terræ suam inferunt gloriam & *Apoc: 21.* honorem, vita functus, commigraui. Nemo *Apoc: 19.* me lachrymis decoret. *Beati* enim, *qui ad cœnam nuptiarum agni vocati sunt.* Commune naturæ debitum solui. Nemo me lachrymis decoret. *Omnes* namque *mori-* *2 Reg: 14.* *4. Reg: 22.* *mur, & quasi aquæ dilabimur in terram.* Variis, cum Iosia Rege, periculis incommodisq;, Regno impendentibus, subtractus sum. Nemo me lachrymis decoret. quia *Melior est dies vna in atriis tuis,* ô Deus, *super millia.* *Psal: 83.* Non ita vitę cursū transmisi; vt mors mihi probro esse posit: suppleuiq; virtute, & rerum gestarum gloria, quod mors mihi ademit immatura. Nemo me lachrymis decoret. *Timenti* etenim *Dominum benè* *Eccli: 1.* *erit in extremis, & in die defunctionis suæ benedicetur.* Corpore in cineres resoluto, immortalis meus animus, æuo fruitur sempiterno. Nemo me lachrymis decoret. *Beati* siquidem *mortui, qui in Domino moriuntur. amodò iam* *Apoc: 14.* *dicit Spiritus, vt requiescant à laboribus suis.* Scio etiam *quòd Redemptor* *Iob 19.* *meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum, & rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum, saluatorem meum.* Nemo me lachrymis decoret. *Reposita* namque *est* *Ibidem.* *hæc spes mea, in sinu meo.* A vobis interim, ô Regni huius dilectis-

dilectissimi incolæ, dum gratum, beneficiorumque Dei, & solicitudinum, impensarum, laborumque meorum memorem animum requiro; vos simul optimè sperare iubeo. Qui enim vos, inter tot discrimina, tamq; varia & aduersa fortunæ tela, incolumes conseruauit Deus; idem vobis, bona, de singulari eius clementia, spe firmatis, Patrem se clementissimum exhibebit. *Bonus est* enim *Dominus sperantibus in eum, animæ quærenti illum. Beatus* autem *cuius Deus Iacob adiutor eius, spes eius in Domino Deo ipsius.* *Thren: 3.* *Psal: 145.*

Video sanè, maximaq; animi mei iucunditate contemplor, datum esse vobis planè diuinitùs, post tot fusas ad Deum preces, postque tot solicitudines & angores, eum Principem, qui ad clauum Regni iam feliciter positus, alterum me in mentē omnibus facilè reuocabit: seque, perinde vt ego, semper filium obsequentem Ecclesiæ Dei (quæ prima ac præcipua omnium Regum Christianorum dos est) Patrem Reipub. defensorem Ecclesiastico ordini, adiutorem Senatui, custodem legibus, tutorem Nobilitati, ciuibus patronum, omnibus denique clementissimum, publiciq; emolumenti studiosissimum Regem exhibebit. & quod ego temporibus Reipub. sic exigētibus, bellica virtute aggressus sum; hoc ille, pacatis iam rebus, incenso Diuinarum rerū studio stabiliet, consilio promouebit, armis tutabitur, potentia denique multiplici, firmaq; duorum Re-

gnorum ſocietate, in omnem æternitatem immotum reddet ac inconcuſſum. Te itaque SIGISMVNDE Rex, optatiſsime Regni mei ſucceſſor, appello: Te, te inquam, ad magna quæque, & præclara natum, duplici Regno, Regioq; ſanguine illuſtrem, & mihi affinitate coniunctum Principem, hortor, moneo, & obſecro, vt quæ à me in Catholica Religione promouenda, in Repub. ordinanda, in bonis legibus ſanciendis, in erigendis Epiſcopatibus, in fundandis Eccleſiis, Academiis, Collegiis, Religioſorum domiciliis, Noſocomiis, aliiſq; eiuſmodi rebus, vel inchoata, vel ſtabilita, vel iam perfecta vides, ea non modò cõſerues; ſed etiam exornes, tuearis, amplifices. Nam *Non minor eſt virtus, quàm quærere, parta tueri.* Et cùm nullus labor, illa animi corporiſq; contentione ſit excellentior, quæ in ſalutis hominum, (tam euidenter, Chriſti Domini dictis, rebus geſtis, morte deniq; ipſa commendatæ) ſolicita diligentiq; cura adhibetur; quantùm animo conniti potes, quantùm labore contendere, tantùm operam da vt efficias, ne illa, quæ erga animas, pretioſo Filij Dei ſanguine, ab interitu & exitio, ad incolumitatem vitamq; ſempiternam, reuocatas, mecum creuit miſeratio, in te vnquam remiſsior poſsit inueniri. Hanc tibi peculiari quodam modo cum Regni gubernaculis do, & lego, hanc tuæ mando fidei; omnibus certè Regum exercitationibus,

onibus, laboribuſq; illuſtriorem. Nunciabunt forſitan tibi, non rarò, qui mei ſtudioſi, mea quoque ſolertiùs obſeruârunt, me & pietatis exemplis, & vitæ moderatione, & familiaribus colloquiis, & multiplicibus ad ęqui honeſtiq; ſtudium incitamentis, literis denique ſcriptis, ad auitæ religionis notionem & amorem, heroicarumq; virtutum ſtudia, quotquot potui, ex aula pręſertim mea, Senatuque iſto, vel adduxiſſe, vel incitauiſſe: in hoc tu quoque, Rex SIGISMVNDE, omnes neruos ætatis, induſtriæq; tuæ contende; vt quam cum materno lacte ſuxiſti, ab ipſiſq; incunabulis ſanctiſsimè coluiſti, Chriſtianam pietatem, in alios, quod in te fuerit, transfundas; omnibuſq; ad illam, incitamenta & aculeos, identidem coneris adhibere. Nam componitur orbis Regis ad exemplum. (Claudian. pan. 7.) Vos item, præclariſsimi Regni huius SENATORES, quos meorum conſiliorum & laborum conſcios, participeſq; aliquando habui, moneo, perque veſtram vos ſalutem obteſtor, vt in ea, quæ ad Regnum hoc, cum Deo in gratiam reducendum, Rempub. ſtabiliendam, defendendã, conſeruandam, augendam, ornandãq; pertinent, omnibus viribus incũbatis. *Erudimini qui iudicatis terram. Seruite Domino in timore, & exultate ei cũ tremore.* (Pſal: 2.) *Iudicium* enim *duriſsimum in his qui præſunt, fiet. Exiguo enim conceditur miſericordia: potentes autem, potenter tormenta patientur.* (Sap: 6.) OMNES denique vos, qui ex diſiunctiſsimis Regni Polonię, aliorumq; Regnorũ partibus, in hanc Vrbem,

ris momento ſpoliatum contemplamini. Et qui aliquando plenus gratia, hoc eſt præclaris animi, corporis, & fortunæ ornamentis inſtructus, adeòq; faciens neſcio quæ prodigia, vobis viſus ſum; nunc illarũ duntaxat rerũ comitatu & præſidio ſeptus, ante ſeuerum æquiſsimi Iudicis IESV CHRISTI tribunal, comparui, quæ vel ad fidei integritatem, vel ad aliquam virtutum perfectionem, idem aliquando Iudex, ſuauiſsimè cum
Baruch: 3. mortalibus in terris conuerſatus, docuit pertinere. Corporis verò bona, quàm celeriter, floſculorum inſtar deciderunt? Iam enim *putredini*
Iob 17. *dixi, pater meus es: mater mea, & ſoror mea, vermibus.* Quin verò & illorum, quæ imperitum vulgus, Fortunæ vocat, bonorum, quemadmodum cùm communi vobiſcum aura fruerer, non tàm facultatem vnquam & copiam expetendam putaui, quàm in vtendo rationem, & in carendo patientiam; ita nunc illa eadem, adeò video commutata, vt ſolos felices exiſtimem, non quos cum admiratione quadam, conſentiens hominum vox, honore, & gloria dignos iudicat; ſed qui apud Deum gratioſi, virtutumq; laude florentes, & glorioſi extiterunt. Inania itaque hæc fortunæ ludibria; opes, inquam, honores, prædicationes, omnemq; gloriæ amplitudinem, vos quoque re ipſa, ioculares incautorum ludificationes, & certa iudicate ludibria. Quæ heroico quodam animo, minimis

nimis quibuſque diuinis rebus inferiora ducentes; recondite ibi theſauros, vbi nec in æruginem res incidunt, nec à tineis corroduntur, nec à plagiariis hiantiſq; auaritiæ hominibus, clàm eripiuntur, vel expilantur. Conciliate ſimul vobis, ex malorum bonorumúe multorum & magnorum effectrice pecunia, ampliſúe patrimoniis, verè fideles, verèq; beneuolos amicos, qui periculoſiſsimo illo funeſtiſsimoque tempore, quo ratio, conſilium, vires, animus, ſpiritus [illegible] & vita defecerit, recipiant & adm[illegible] vos in tabernacula & domicilia, n[illegible] tempo- ris vlla circumſcriptione [illegible]tienda; ſed [illegible] [illegible]inataq; [illegible]ta.



LAVS DEO, ET SANCTIS EIVS.

omnes sancti anieli et archanieli
ora pro nobis